



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1661

De impedimentis ex parte Sacerdotis. §. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41878

sequenti. Et quamvis utriusque tractatio commodiorem fortasse habuisset alibi locum, huc tamen, ubi agimus de obligatione Capellani, nec incommodè rejecta est.

2. Solent autem ejusmodi impedimenta se tenere vel ex parte Sacerdotis, vel ex parte loci, vel ex parte temporis, vel ex parte similitum circumstantiarum, de quibus claritatis gratia, sic breviter, separatim, disputamus.

§. I.

De impedimentis ex parte Sacerdotis.

1. **S**I Capellanus infirmus, carcere detentus, vel simili impedimento laborans tenetur per se celebrare, nec potest; certum est eum esse excusandum à celebrando per se, quia est legitimè impeditus; sed adhuc quæritur, an
tunc

3 *Doctores mox citandi.*

tunc statim teneatur per alium
supplere, ne scilicet gratis fruatur
interim stipendio annuali, quod
pro se currit?

2. Dico distinguendum esse. *a*
Si breve est impedimentum, non
teneri; teneri, si longum, nisi ex-
pressè colligatur, mentem testato-
ris fuisse, ut nunquam deesset Mis-
sa. Ratio est, quia præsumendum
est Testatorem noluisse tam rigidè
in brevi impedimento cum suo Ca-
pellano agere; ut statim ad restitu-
tionem teneatur: at in longo, vel
quando se declaravit, præsumitur,
voluisse.

3. Verum quænam erit brevis,
quæ longa infirmitas brevis, vel
longus carcer? *b* & *c*. Respondeo lo-
quendo de infirmitate (eademque
est ratio de ceteris legitimis impe-
dimentis) Barbosa *b* asserit esse in-
firmitatem octo, vel decem dierum,
Bonacina, *c* quindecim dierum.

Petrus

a *ibid.* *b* *Barb. de per Ep p 2 coll. 24*
n. 4 *c* *Donac. d. 4. de Euc. q. ult. p. 8. n. 17*

Petrus a Navarra, unius mensis.
 Delugo, b mensium duorum; Omnes
 probabiliter, quia in jure tale
 tempus breve judicatur. Vide su-
 pra c. 1 §. 9. n. 4. Vide etiam cap. 3.
 §. 1. num. 6. ubi adverti nullam dari
 Vacationem, quando onus est su-
 sceptum, ab Ecclesia, quæ curet
 dici Missas quotidianas, nam etiam
 & hic proportionaliter est dicen-
 dum non sufficere ad excusandum
 Monasterium, seu Ecclesiam im-
 pedimentum unius Sacerdotis, sed
 debere esse totius Monasterii,
 quod certe rarissimum erit.

4. Quod si in Monasterio, vel
 Ecclesia ad sint aliquot infirmi, sed
 qui validiores sunt, sufficiant ad
 onera Missarum, illa illorum infir-
 mitas non excusabit, quia cum ob-
 ligatio sit Monasterii, & non par-
 ticularium immediate iis, qui in-
 colu-

a Petrus Navarr. de vest lib. 2. c. 3.

n. 110. b Delugo de Euch. d. 21. sect. 2.

num. 49.

columnes remanent, onus totum Missarum incumbet.

5. Quod si, qui sani remanent, omnia onera, quæ forte diversarum personarum habet Ecclesia, solvere non possunt, quæ possunt, solvant.

9. At quarum personarum, quandoquidem non est major ratio de una, quam de alia? Respondeo, ad ratam singulorum ita, ut omnes aliqua Missa careant, aliquam habeant juxta majus, vel minus legatum à singulis Ecclesiæ relictum, pinguiori plures Missæ, minus pingui pauciores tribuendo. Ratio est, quia ita æquitas exposcere videtur non enim video cur in hoc casu locum habere possit illa Regula. *Qui prior est tempore potior est jure* cum prioritas non videatur hic esse tanti momenti, ut vincat cetera posteriora legata forte pinguiora.

6. Negotium grave Capellani, vel incommoditas inducuntne dictum legitimum impedimentum?

Respon-

Respondeo affirmativè de priore, sed de posteriore negativè. Ratio est, quia negotium grave reducitur ad necessitatem; Incommoditas, dum remanet inter terminis Incommoditatis, ad negligentiam, ad quam evincendam jam habet stipendium Capellanus.

Unum adverto Superiorè quando videt suorum Sacerdotum dicta legitima impedimenta, debere esse sollicitum ad alios advocandos in subsidium, æquitas enim postulat, ut si id possit, non negligat.

§. II.

De Impedimento ex parte loci.

SI Ecclesia est vi lata, si interdicta, si destructa, non inveniuntur claves ejusdem, ad quid obligabis. Sacerdotem?

Dico maxime hæc esse advertendum, an Fundator præsentiam so-
lam